

Q. N. 352, 23.

X 1864155

T. 173.

בשהקבה

II f
1246

DISSERTATIONE MORALI

PRIMA

AFFECTUS

placidæ Eruditorum disquisitioni

subjicient

PRÆSES

M. SAMUEL LUCIUS

Sorâ Luf.

&

RESPONDENS

JACOBUS LEONHARDUS PERSCH

Beltic. Sax.

die XIX. Novembr. An. 1698,

H. L. Q. C.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

WITTEBERGÆ,
Typis JOHANNIS HAKII

S. 12.



V I R O

SUMME REVERENDO EXCELLENTISSIMO QVE

D O M I N O

DN. JACOBO

VVÆCHTLERO

S.S. Theol. D. Celeberrimo, Belzig.

in Circ. Elect. Saxon Superint.
longè Meritissimo, &c.

PATRONO SUO MAXIMO, ÆTERNUM VENERANDO

in sui suorumq; studiorum Commendationem, &
gratitudinis signum, hanc de Affectibus
Disputationem submissè offert.

Jac. Leonhardus Persch /

Belzig. Saxô.

בשוקה
PROOEMIUM.

SI stupenda humanæ machinæ ab opifice rerum fabricatio, mira que ejusdem, ex anima, velut numine quodam, & corpore, tanquam muta pecude, compositio, nunquam deprædicari potest, infausta sane serpentis, pacis inimicæ, conamina, æque deploranda erunt. Quas enim diversissimas naturas, summus fabricator, felici concordia colligarat, eas hic auctor discordiæ ita dissecuit rursus, ut jam neque dirimi queant, sine maximo cruciatu, nec conjunctæ vivere sine assiduo bello, teste *ERASM. ROTEROD. in mil. Christ.* Nascimur cum hac controversia & quamdiu spiritum trahimus, inimici conjuncti pro principatu contendunt, alter alteri obsequium detrectat, quilibet imperium ad se pertinere dicit, ut videatur ipsa superbia hujus belli auctor extitisse. Nec tamen sola sed cum injustitia juncta, cum illa pars magis imperium ambiat, quæ non debet, veroque imperatore semper obnitatur. Vix enim mens meliora videt probatque, appetit, & in eo residentes affectus, tantum abest, ut obtemperent, ut potius superiores ut plurimum esse velint, & deteriora sequantur. Hinc multi adeo vesani fiunt, ut immoderatum affectuum, amoris, odii que, præjudicium secuti, sua immodice effectuant, de alienis vero, nescio, quam abjecte sentiant, cum illo stulto, qui ductus effreno amore erga patriam, & insano odio erga reliquam terræ partem, quoties aliorum civitatum encomia audiret, ita admittebat ut suam patriam longe præferret; Cum ergo aliquando fatuorum fieret mentio, nec ille patriæ gloriam obscurari patiebatur, in hæc verba prorumpens: Quid illi illepidi, non enim sunt præstantiores fatui quàm in mea patria, de quo *vid. LANSI Consult. Orat. contr. Gall. p. m. 257.* Plurimos etiam immoderato passionum exercitio, ita excecatos deprehendimus, ut contra conscientiam, cum *Archippo* asini umbram, cum *Glauco* injustitiam, cum *Polycrate* & *Isocrate* Busiridem, cum *Hutteno* febrem, cum *Pirckbeimero* podagram, cum aliis alia absurda laudibus evahant, in iisque delectationem quærentes, nimios suos affectus fa-

tis luculenter prodant. De reliquis idem sentiendum affectibus; Non enim sumus nescii, quam læpius immoderata ira, homines, ratione præditos, in immanissima quasi bruta, mira metamorphosi, immutet. Timor vero multos ita obsedit, ut non tantum in levioribus audendis, voluntati inobedientes se demonstrent, sed etiam intellectui ita refragentur, ut de verissimo quoque cum Scepticis dubitent. Qui metus falsitatis apud priscos Scepticos tantus erat, ut, cum quondam unus eorum in foveam cecidisset, dixerit: forsitan hæc non est fovea, idque ex solo falsitatis metu. Quantum vero hic timorem, tantam apud alios reperire licebit audaciam, ut nonnullos præsentissima pericula, inhumane appetere videas, alios ex sola contradicendi audacia, cum **CARTESIO**, omnia in dubium vocare, & ita ut pro falsis habeantur *de quo vid. HUET. Censur. Cap. I. §. I.* Reliquorum affectuum ut nunc sileam excessus. Neque enim in præsentibus nostrarum partium est, eos recensere; potius dispicere, ne è regali folio deturbet inferior pars nata subijci, superiorem, cui dominatio jure debetur. Quod fiet si affectus ad *μετόρῃα* reducentur, & à recta ratione tanquam imperatore, intra cancellos continebuntur. Huic enim imperium hocce competere, cum testimonio sanorum Philosophorum, docent rationum momenta, quicquid demum obvertere velint Epicuri de grege porci. Ex quo patescit elegantem esse, de affectibus hominis, in Philosophia Morali, scientiam, ac proinde dignam, ut eidem aliquid tribuatur, id quod & in præsentibus, nobis arridere voluit. Fiat id feliciter!

§. I.

NE idem nobis eveniat, quod olim *Favorino* accidit, quem disputantem acriter, an sol sit? false derisit **GALENUS Lib. sed optim. doc. gen.** prolixiores non erimus, in affectuum existentia demonstranda, secus enim æque ac ille, in re manifestissime vera probanda laboraremus, quod tamen cavendum svadet **CALOV. Methodol. p. m. 792.** Præstat ergo statim in limite de essentia eorundem sollicitos esse. Dicuntur ab afficiendo quod idem est ac animo moveri. Optime **SCALIGERO** motus animi audiunt, quod animum quasi *ad actiones permoveant* & *actionem*

onem gignant *Exercit. 307. 4.* Nec minorem laudem merentur. Græci, qui affectus admodum convenienti ornarunt nomine, quando ipsis *πάθη* dicuntur, quod appetitus ab objectis patiatur; & vere homo affectibus occupatus dicitur pati, movetur enim in corde interne, & sic vere patitur; Seu *SCALIGERO l. c.* interprete, quod sint res brutæ & alterius regiminis indigæ. Quo ipso procul dubio indicare volebant, affectus ferocissimorum equorum instar, in frenis habendos, & à ratione coercendos esse, ut sic domiti non exorbitent. Stoicorum nomina, quæ ipsis his affectibus imponere placuit, tantum abest ut approbemus, ut potius negare non possimus, eos in denominando affectu, nimium pravis affectibus indulgisse; quod enim eos ægritudines, morbos animi, calcaria ad vitia, appellabant, in eo vehementer errarunt, id quod inferius patefcet. *CICERO* equidem cum Stoicis faciens, cui perurbationes audiunt *L. I. d. Offic.*, eos cum Peripateticis, meliora de affectibus sentientibus conciliare fatagit, quando in *Lib. de orat.* inquit, ex varia vocis perturbationis acceptione duntaxat, inter Stoicos & Peripateticos ortam esse controversiam, adeoque meram esse *λογομαχίαν*; ast, quicquid horum sit, duriora nomina, quando etiam peccata, irracionales animi motus &c. vocabant, satis produnt, haud dextre eos de affectibus docuisse. *CARTESIO* & ejus affectus perceptiones dicuntur, quo tamen jure videbimus infra. Nobis hic sufficit, confessione *CARTESII L. I. Art. 28. de passion.*, rectius eos commotiones animæ dici, quæ appellatio, sano utut sensu sumpta convenientissima sit, ex mente tamen Cartesii non approbatur, qui nomen in alium plane, quam hætenus inter Philosophos usitatum sensum detorquet, *vid. l. c.*

§. 2. Triplices in genere deprehendimus affectus. Alios mentales, qui sunt sublimes, puræ & abstractæ delectationes, vel ejusmodi agitationes supremæ partis intellectus, quem vocant *υἱ* ut cum doctissimo *D. EDUARDO REYNOLDO* loquar; & hos dicunt dari in hac vita ab aliqua extraordinaria revelatione, uti prophetarum & Pauli exempla testantur *2. Cor. 1. 11. 2. 3.* in futura autem vita orienturos esse ex beatifica *DEI* visione contendunt: Alios racionales, qui à lumine naturæ in intellectu, absque phantasiæ ministerio oriuntur,

fic cum facimus honesta, vel contra l. N. peccamus, aut divinum, vel voluptatem, vel metum sentimus, ex lumine naturæ in corde, resultantes, cum intellectus reflectit in honesta vel turpia ante gesta, absque phantasiæ adiumento. Alios denique sensitivos, & motiones prosequendi hoc vel illud bonum jucundum, & averfandi molestum *vid. COLVILLUS Phil. Mor. p. 252.* missis primis, secundi & tertii generis, utpote rectificationis intellectus capaces, nostros faciemus. Circa quos tamen, ne falcem in aliorum, quod ajunt, messem immittamus, notandum, triplicem potissimum eorum, apud Philosophos occurrere tractationem. Etenim Rhetor multa de affectibus verba facit, & qua ratione oratori in persuadendo vel excitandi vel compescendi sint, docet; Physicus pariter eosdem in solidum tradit, hoc tamen fine, ut postquam in naturales eorum causas inquisiverit, acquiescat penitus, illis quatenus affectiones corporis animalis sunt consideratis. Quomodo vero iidem in mediocritate sint continendi, ne exorbitent, excedendoque vel deficiendo peccent, Ethici tradunt. Mittimus nunc Rhetores & cum his Physicos, sola morali acceptione, quantum fieri poterit in præsentia, contenti.

§. 3. Non leves jam pridem de hac re Stoicos inter Peripateticosq; agitatae fuerunt controversiæ. Ut ut enim tantæ dementiæ, qua *αὐτὰ δεῖται* statuerint, Stoicos nunquam fuisse crediderim; acriter tamen inter hos de essentia affectuum disputatum est, illis, opiniones, his, actus esse, quibus appetitus afficitur, dicentibus. Eruditas Stoicorum definitiones affert. *CICERO L. IV. Tuscul.* Lætitia, dicens, est opinio recens, boni præsentis, in quo efferri animo rectū videtur; metus opinio impendentis mali, quod intolerabile videtur. Duriores adhuc sunt aliorum definitiones, imprimis *LAERTII Lib. VIII. de vit. Phil. in Zenon.* dicentis, *πάθος ἐστὶν ἄλογος περὶ φύσιν κίνησις*, quam in Latium e Græcia induxit *CICERO L. II. Tuscul.* ubi, perturbationem, averfam à ratione contra naturam animi esse commotionem contendit; Sed quilibet videt monstro hæc quam vero in meliora esse, veteresque hujus opinionis patronos vehementer errasse. Opinionem Philosophi faciunt, actionem mentis, eamque languidam, cum sit judicium mentis de re non usque adeo certa,

certa, juxta *CHAUVIN. Lex Rat.* vel assensus propter rationem dubiam datus; Perperam ergo vehementes concussiones, quas nunc Perturbationes, nunc alio duro nomine vocitaverāt, per lenissimā, modo mentis actionē languidamq; definiunt, quæ in se ipsam reflexa nullam plane sanguinis spirituumq; animalium in corpore mutationem efficit. Contradicunt sibi: faciunt enim, si opiniones sunt, tranquillos motus animi, & tamen tanquam irracionales motus eradicandos censent. Sit opinio ex mente ipsorum affectus, cur non semper languidus manet, cur extirpandum clamant Stoici? Quid, quod judicium rationis etiam ex mente eorum, hisce imperet; probat enim & incitat affectus bonos & moderatos, vitiosos vero conatur compescere, antevertere, comprimere. Svadent ipsi Stoici, exuendos esse omnes affectus, non tamen hoc sine ratione dictum fuisse, dicere ausim Stoico. Dum ergo contra pravos affectus præcipit ratio, qui sedes esse poterit? Confundunt proinde judicium rationis & affectus dissentientes, idemque faciunt ac illi, qui navim & nautam, sessorem & equum, Regem & subditum, non duo, sed unum reputant. Addendum & hoc, opinionem semper conjunctam esse cum metu falsitatis; sic qui terram fixam pro opinione habet, ita statuit ejusdem quietem, ut credat, posse etiam fortasse se rem aliter habere: Hoc vero opinionis requisitum in affectus non cadit, hi enim nunquam decipiunt, adeo quippe sunt propinqui & intimi, ut semper tales sint, quales sentiuntur. Si amas, eò quo amas, certo scis, te rem non odisse; Si fugis, certus es, te rem non appetere &c. *Laërtii* quoque descriptio, merito, quod ajunt, atro carbone notanda est, ut ut secū facientes habeat **ANDRONICUM, ALCINOUM, BOETHUM, ASPASIUM**, plerosque Academicos, uno ore affectus per motiones animi rationis expertes definiētes. Durior enim res est, & quæ de affectu vere dici nequit, si eum irracionalem animi motum, averfam à ratione commotionem, imo peccatum dixeris, produnt potius Stoici affectibus excoecatum animū, qui tamen sine affectu videri volebant; satis enim docent, omnes affectus in anima rationali locandos esse, in quo tamen non parum errarunt, cum ne brutis quidem denegari debeant vid. *PICCOLOM. grad. c. Cap. IV.*

§. 4. Phi-

§. 4. Philippus, qui minime omnium arenas metiri consuevit, talem suppeditat definitionem: *Affectus est motus in corde aut voluntate sequens cogitationem, quo prosequimur, aut fugimus rem oblata, & quemcunque alium affectum, comitatur ad extremum in corde vel letitia vel tristitia*; tamen in ea id displicet, quod olim SCALIGER in Cardano reprehendit. *Exercit. 307. 4.* affectus ad voluntatem referente. Arctissime enim cohæret voluntas cum anima rationali, & intellectu ipso, à quo non nisi formaliter differt. Bruta ergo non dicuntur velle, sed instigari, his tamen affectus ne utiquam denegandos esse dictum §. præced. Id vero quod cum brutis commune habemus, in voluntate collocari non debet. Taceo hoc, quod sæpe nobis invitis surgant, manifesto indicio, non in voluntate collocandos esse, ut & cum alteratione corporis complicatos esse, quod tamen motus voluntatis vel animæ rationalis, tam vehementer non facit, *vid. plura pp. SCAL. l. c.* Hæc tamen cum parum ad finem nostrum faciant, libenter mittimus. Cæterum voluntatum sint adscribendi affectus, an minus, dicetur infra.

§. 5. Altioris indaginis videtur sententia CARTESII, hic enim affectus nostros explanaturus, more sibi consueto, omnia Præceptorum effata pro falsis habet, atque plane aliam, hætenus inauditam viam quærit, quæ ipsum, ad tam anxie, in materia ardua, quæsitam veritatem, duceret. Verba ipsius *de Passion. ART. I. P. I.* hæc sunt: *Nulla in re magis apparet, quam manca & deficientes sint, quas à veteribus habemus, scientia, quam in illis quæ de passionibus scripsere. Nam etsi talis hæc sit materia, ut ejus cognitio semper curiose fuerit investigata, ea tamen quæ de his decuere veteres, tam parvi momenti sunt, & maxima ex parte tam parum probabilia, ut sperare non debeam, me ad veritatem rei perventurum nisi plane ab iis quæ institerunt viis recessero.* Primarium ergo (ex sua mente) declinat errorem, quod creditum fuerit, animam dare motum corporibus, cum tamen cogitandum fuisset, corpora habere in se principium corporale motuum, quorum gratia elaboratum est, hic sæpius sensitive animata cum machina, horologio, aut alio automato confert, *Art. 5. l. c.* Hoc ergo fundamento strato, post longam dissertationem de hoc principio (quod facit ignem, quem sanguis

guis venarum nutrit) & functionibus corporis & animæ, tandem affectus ita definit: quod sint, *perceptiones, aut sensus, aut commotiones animæ, quæ ad eam speciatim referuntur, quæque producuntur, conservantur & corroborantur, per aliquem motum spirituum, loc. cit. Art. XXVII.* Circa quam notandum, perceptiones juxta eum ad animam (rationalem, aliam enim ignorat.) quidem referri, non tamen ab eadem produci. Duplices enim facit perceptiones Cartesii, alias quæ animam pro causa habent, alias quæ corpore, has denuo dicit, vel non dependere à nervis, vel dependere; illæ ipsi vocantur imaginationes, has denique dicit in triplici differentia esse constitutas, vel enim referri ad objecta externa, ut v. g. sonus cæpanæ, lux, &c; vel ad nostrum corpus, ut dolor, & alii affectus, quos sentimus quasi in membris nostris &c; vel ad animam nostram ut affectus de quibus sermo, vid. *l. c. Art. 19. 21, 22, 25.* Ad rem ergo ipsam quod attinet, sedulo quidem cavendum ne reprehensionem Physicorum incurramus, leviter tamen, & paucissimis, quædam dicenda erunt, reliqua uberiori eorundem tractationi relinquentes. Laudat equidem PHILOS. BURGUND. definitionem CARTESII, more tamen sibi consueto, mox aliquantum reprehendit, rectius affectus ut motiones, quam ut sensus aut perceptiones à nobis concipi asserens. *Tom. I. p. 736.* Ut ergo propius accedamus, ad imputatum illum crassissimum, à Cartesio Philosophis errorem, dicimus, nondum agnovisse saniores Physicos, se in eo errasse, quod in animatis motum omnem animæ adscribant, nec enim simile suum de automato rem omnem explicat, nec satis eam assequemur, si hæc omnia ad machinas unice exigamus. Semper, recte dispositum movetur horologium, quiescens vero vitiosum reputatur, ast homo licet recte dispositus, vel canis non movetur, sed quando vult, ad aliud ergo principium movens, quam Cartesianum concludere licebit. Quid de brutis sentiet Cartesius, mulctat omnino ex hac hypothese ea omni affectu, imo sensu, sed quo jure videant alii. *conf. PHIL. BURG. Tom. II. p. 596.* & qui primo nominandus erat. *Exper. Dn. D. WATER, Patronus & Præceptor noster submisse venerandus, Colleg. Phys. Curios. MSS.* Principio ergo talis minus convenienti prostrato, res omnis reliqua facile corrui, affectus enim

nim ex solo spirituum motu dependere nunquam concedendum;
canis herum non tam animose defenderet, si omni cognitione de-
stitueretur. De castoribus in Canadensi regione, notum est, quod
instante hyeme, tam solerter domos ex ramis arborum exstruant
prope fontium origines, molem aquæ profluenti opponant, ut sta-
gni in modum sistatur, duces instent, & tardiores verberent & c.
ast hæc omnia, à solo principio motus tali intrinseco profluere vix
credibile, sed de his pluribus agere non licet, vereor enim ne in
Moralis Philosophia occupatus, limites excedam.

§. 6. Nostra quæ de affectibus mens sit, vel ex sola descriptione
constare poterit; occurrit autem inter varias *ADRIAN. HEERE-
BOORDI. Coll. Eth. Disput. 12. Tbes. 1. dic. affectus est motus hominis
internus, vel etiam, motus animalis (vel hominis) ab appetente
facultate in seipsa excitatus, ex appetitione boni, & aversatione
mali, ad aliquid vel prosequendum vel fugiendum; quæ parum
recedit ab illa in Scholis hætenus usitata crassos exponens affe-
ctus: affectus est passio; appetitus sensitivi, exorta in corde ob
notitiam objecti vel boni quod prosequitur, vel mali quod fugit
& aversatur, quæ videre est apud *WENDLERUM Pract. Philos. Lib.
1. Sect. 2. Cap. 3. §. 92.* Quibus tamen verè palmam præripit, *Ex-
cell. ROEHRENSEE, Patroni nostri, atque Præceptoris obsequissime ve-
nerandi, quam suppeditavit. Philos. Moral. p. 395. Affectus sunt
passiones animæ à cognitione objecti excitati, opinione boni ali-
cujus consequendi, aut mali fugiendi.* Sive enim per motum
sive per passionem describas perinde est. Teste enim
CARTESIO, generaliter à Philosophis vocatur passio, id quod
fit aut recenter accidit, respectu subjecti cui accidit, actio vero, re-
spectu illius, qui in causa est. *loc. cit. Art. 1.* Motus ergo voca-
bulum cum sit vox generalis, & tam actionem quam passionem
significet, recte affectus, sine ullo contradictionis metu, motus,
actiones & passiones dixeris, quod tamen qua ratione fiat, cum
ad institutum nostrum, facere videatur, paulo uberius erit expli-
candum.*

§. 7. Triplex secundum ductum *PRÆCEPTORIS* nostri *Phil.
Moral. p. 81.* circa omnem affectum occurrit & concurrat motus.
Primus

Primus facultatis cognoscentis ab objecto motæ; secundus facultatis appetentis à cognoscente motæ; Tertius totius animalis à facultate appetente per organa moti. Primus & tanquam causa secundi motus affectum antecedit, estque proinde magis spiritualis, & minus corporeus, adeoque nec proprie motus, Tertius totius animalis, maxime corporeus adeoque propriissime & penitus motus sit necesse est, quando puta totum animal, bonum vel prosequitur, vel malum fugit, nec tamen & hic motus de essentia affectus est, sed potius affectum sequitur. Hunc inter ergo tanquam consequens, & primum tanquam fontem & originem, medio loco continetur motus, qui de essentia affectus est. Passionem & actionem hic reperiri nunc facile demonstramus; potest hic motus appetentis facultatis ab objecto motæ, referri, vel ab objectum cognitum, vel ad facultatem appetentem, vel ad corpus commotum & agitatum. Ibi est actio, hic primo passio quando movetur à facultate cognoscente, & vi imaginatrice, mox actio respectu putata commotionis, & agitationis in ea factæ, isthic tantum passio est. Clarum ex hic evadere existimo affectum motum mixtum, nunc actionem nunc passionem dicendum, quanquam si dicendum quod res est, magis in passione quam actione consistat, siquidem motus cordis in omni affectu incitatur vel remittitur, quod in ira, odio, amore, reliquisque affectibus manifestissimum est, unde etiam communissime passiones dicuntur.

§. 8. Appetitum quoque, præcuntibus Philosophis triplicem facio, rationalem alium, alium naturalem, alium sensitivum, quicquid etiam recentiores obvertant *de quo vid. CHAUVINI. Lex. Rat.* Rationalis est ipsa voluntas, quæ prævia notitia intellectus, apprehendit bonum conveniens, & secundum quem homo fertur in bonum ut bonum, & malum ut malum averfatur. Naturalis est propensio ingenita, ab autore naturæ, quæ unumquodque, absque ulla prævia notitia inclinatur, in id quod sibi conveniens est, reique adeo etiam inscitæ, ad ipsius conservationem divinitus impressus. Sensitivus denique quo homo & animalia omnia, præcunte notitia sensus feruntur in bonum objectum & jucundum, malum & injucundum contra fugiunt, Cartesio quidem cum affectis, hæc omnia

plane non arrident, qui appetitum duobus modis dici posse asserunt, proprie pro affectu, & minus proprie pro effectu, ipsi actioni sapius adjuncto; posteriori modo concedunt omnibus animalibus, affectus, non tamen priori, eò quod apud bruta nulla reperiatur cogitatio, appetus autem, etiam naturalem esse cogitationem. Sed hic denuo prolixior esse vetat instituti nostri ratio, tantum tamen dicemus quantum ad scopum nostrum pro asserendo appetitu sensitivo faciet. Cogitationem esse omnem appetitum nondum persuasum est, rationem vero utut brutis cum antiquis, Anaxagora, Platone, aliisque non concedamus, tutius tamen dicere erit cum eximio dum viveret viro *D. d' CHAMBRE*, in brutis esse quoddam rude ratiocinium, circa res particulares, quam cum *CARTESIO* in defectu peccare, atque ea proinde omnino privare sensu atque cognitione. Quamquam ratiocinii & deliberationis illud, umbra quaedam rectius dicatur, quam ratiocinium, quod non adeo angustis finibus continetur: sic ergo terminus intelligendus, qualem subjectum admittit, cujus etiam ratio sufficiens est, ad appetitum aliquem vere sensitivum.

§. 9. Hunc ergo appetitum merito subjectum facimus passionum, uti & dictis §. 7. patet, fiunt enim cum aliqua facultatis appetentis corporisque commotione. Res ergo manifesta est, affectus est motus, motus vero talis non est cognoscentis partis sed appetentis uti recte docuit *ARISTOT. L. 2. Nicomach. Cap. 2.* Nec enim quaerit aut averfatur objectum sub ratione falsi vel veri, quod tamen necessario est cognoscentis facultatis proprium, sed sub ratione boni & mali uti demonstrabitur infra. Fatemur quidem & damus Stoicis affectus ex opinione boni & mali, ut à causa sapius excitari, nunquam tamen hoc obtinebunt, naturam eorum formalemque rationem in opinione esse constitutam, in quo, tamen cum ipsis conspirat, *JOHANN SCHULER Exercit. Philos.* Quod vero Cardanus & cum eo Philippus, omnes affectus ad voluntatem tanquam appetitum rationalem retulerint, in eo non possumus à partibus ipsorum stare, uti patet ex §. 3. Equidem cum Aristotele, Platone & Epicuro, τὸ ἀνεπινοεῖν non faciemus expers affectuum, contra omnem rationem & experientiam. Sed media eaque tutissima incedemus via, quam nobis denuo monstravit, nunquam satis venerandus *Excell. ROEHRENSÉE* admodum eleganter sic differens. *Phil. Moral. p. 395. : Certum habemus in ipsa quoque parte rationali ejusque appetitu deprehendi motus, ex apprehensione bonorum & malorum, rationi sive vere, sive apparenter convenientium excitatos, qui non minus ac aliae ab appetitu sensitivo excitatae passiones, per virtutem sunt frenandi, ac intra limites coercendi, ut sunt cupiditas honoris & gloria, civilisque felicitatis &c.* Nec tamen id negat, affectus primo significare motiones, ad senti-

sentiendi appetitum pertinentes, conjunctas cum aliqua corporis altera-
tione, ibid. Utramque ergo, ut ad rem revertamur, paginam faciet, nota
distinctio inter affectus crassos & subtiles, hos appetitui rationali non incon-
venienter, illos tamen tantum sensitivo tribuimus. Leviter & illorum
mentionem faciam, qui Sympathias & Antipathias inter vegetabilia, &
inanimata ad affectuum classem revocare ausi sunt v. g. inter ferrum &
magnetem, oleam & quercum &c. sed ridiculum foret hæc pro affectibus
velle venditare, nec enim hic datur sensus, nec unicum affectuum re-
quisitum, sed potius naturales suas plane alias causas agnoscunt, de qui-
bus Physici.

§. 10. Rectissime *ADRIANUS HEEREBOORD*, in definitione supra ad-
ducta, dicit affectus esse motus *hominis*, ut ut enim brutis etiam tribuen-
dos censeamus, hic tamen locum non habebunt, philosophamur enim
de affectibus potissimum *hominis*, qui soli moralis virtutis objectum
constituere possunt, quippe soli regiminis à recta ratione capaces, quare
hic loci affectus, licet veri brutorum merito exulant. Patet etiam ex his,
monstruosum esse dogma illorum, qui pro aris & focis contendunt,
in DEO glorioso & omnis mutationis experte, affectus veros & proprie
dictos dari. Eminent inter hos *CONRADUS VORSTIUS Tract. de attrib.*
Divin. p. m. 464. EPISCOPIUS, ut & JOHANN CRELLIUS. Lib. de DEO &
attrib. divinæ Cap. 29. ubi eos commotiones voluntatis divinæ vehemen-
tiores, seu actus ejusmodi, quibus voluntas vehementius, vel in obje-
ctum suum fertur, vel ab eo refugit, facit. Sed absurda hæc sunt absurdo-
rum. Affectus enim quantum ex horum hominum descriptione liquet,
sunt accidentia, hæc autem de DEO dicere velle, *αὐτὴν ἀλλοῦν*. Non equi-
dem ignota est Vorstiana & Crelliana *ἀσοφία*, qua negant in Deo non da-
ri accidentia, sed de his alii, egit etiam id *SCHIEBLER. Lib. II. Met. Cap. 3. num.*
256. seqq. addo hoc, quod tales perturbationes, contra summam Dei sint be-
atitudinē, & perfectionē quæ attributa omnem talem commotionem ve-
hementē respuunt, Nescio ergo qua fronte, tales commotiones & affectus,
quæ passionē inferunt, actui purissimo tribuere audeant, impingunt enim
eo ipso in perfectionem & beatitudinem Dei blaspheme. Non sunt in Deo
affectus, sed (cum *HEEREBOORD. loquor. l. c.*) aliquid eminentius. Quo-
ties ergo de Deo affectus dicuntur, sanus Philosophus ita quod ajunt
terminum ab omni imperfectione purificabit, ne in DEUM gloriosum
sit injurius. De angelis idem fere judicium ferendum, quando enim sæ-
pius affectus de illis prædicantur, tales non debent intelligi, quales in
moralis Philosophia considerantur, sed potius analogum quid, vel
ut *COLVILLUS p. 260. Phil. Mor. Christ. vult, mentales*. Latantur ergo
angeli, tristari dicuntur, sed affectu mentali, non nobis proprio, sunt e-
nim incorporei, carēt appetitu sensitivo, nulla hic comotio ac perturbatio
scente consistit.

§. 11. Nondum mittendum subiectum, sed nunc demum ad proximum uti vulgo dici consuevit accedendum foret, quanquam non absolute proximum dici possit, sed rectius subiectum proximum inter membra corporis, adeoque secundum quid, test. HEEREBOORD. loc. cit. Sunt quidam qui singulis affectibus peculiare sedes tribuunt, iram ad fel, amorem ad jecur, lætitiã ad splenem &c. referunt, sed hæc rectius organa & incitamenta dicuntur. Communis sententiã est ut omnes affectus ad cor referant, de quod vid. HEIDER. *Phil. Mor.* 319. CARTESIUS, tamen hic iterum communem relicturus sententiã, ita dicit *de passionibus Art. 33.* Quoad sententiã eorum, qui putant animam recipere passiones suas in corde nulla ratione admitti potest - - - Et facile est animadvertere banc vel illam alterationem, non sentiri tanquam in corde, nisi opera nervuli, qui ex cerebro ad illud descendit: cujus etiam vestigia premit. PHIL. BURG. P. I. p. 743. dic. affectum in cerebro formari, tum ad cor ipsum tanquam rotam hujus machinæ primariã diffundi, verum de his denuo Phyci. Quod ad rem attinet, non quidem plane rejiciendam esse censemus sententiã Cartesii, quosdam ergo in cerebro habitare affectus (ex alia tamen hypothesi) facile concedi poterit, cor tamen Crassorum affectuum sedem optime dici posse persuasum habemus, ob hac rationes: quoniam nulla pars corporis magis agitur in passionibus, unde eos cum corde conjunctissimos esse facile liquet; ipse etiam Cartesius concedit sentiri in corde, quanquam opera nervuli, ante hunc sensum vero, cum aliam ignoremus passionem, cor merito dicendum Subiectum, sed de his Anatomici. Unicum addamus, quod licet affectus sedem in corde habeant tamen in alia sese membra exerant. Amorem oculi produnt, gaudium frontis hilaritas, faciei rubor & micantes oculi; Iram lingua balbutiens, audaciam vultus rubens & ardentis oculi, in tristitia pallent genæ, torpet lingua, imo lachrymæ sequuntur, ut e contra in lætitiã risus, timorem quoque pallor prodit. Sic de Scanderbego Heroe fortissimo vulgo refertur, eum in pugna cum Turcis, adeo exastuasse, ut sanguis rarefactus ex labiis erumperet. COLVILL. *loc. cit.*

§. 12. Causam principalem efficientem affectuum PHILOS. BURG. p. 718. facit motum & agitationem spirituum, in quo consentit cum Cartesio, qui principaliter oriri dicit affectus, à spiritibus contentis in cavitatibus cerebri, quatenus cursum dirigunt versus nervos. *Art. 37.*, sed aliæ a nobis adductæ sunt in definitione. Non jam prolixiores erimus, in iis refutandis qui omnia hæc temperamento & influentiã cœli adscribenda esse censabant, res enim manifeste falsa est, ut ut enim affectus temperamentum sequantur corporis, [non item mores juxta PICCOLOMIN. *grad. 1. Cap. 29.*] adeoque sanguineos ut plurimum ad amorem, biliosos ad iram, melancholicos ad tristitiã, phlegmaticos ad metum proclives esse

deprehendamus, puer in horas mutetur &c; omnis tamen temperamen-
ti influxus saltem inclinans est, non necessitans, uti accuratissime censet,
Excell. noster. ROEHRENSE, l. cit. p. 82. Quod si enim in solidum
pendent affectus à temperamento, non amplius voluntariæ forent no-
stræ actiones, omnes frustraneæ essent leges, institutiones, præmia pœ-
næque; naturales forent, sicque voluntatis omne circa illos evanesceret
imperium. Licebit ergo conjecturando argumentari, à temperamen-
to ad affectus, & quandoque, non tamen semper & infallibiliter, contra
quod graviter impingunt, insani Physiognomorum nonnulli, qui quam
sæpe fallant, fallanturque, vel unico exemplo Socratis probari poterit.
Rectius ergo propinquiores potioresque causas facimus (1) Externam ef-
ficientem, quæ in alio quam affectus ipse est subjecto, puta in objectis
ipsis, quæ dum se sensibus insinuant, pro re nata affectum vel jucundum
vel molestum faciunt & movent. Objecta enim movent sensus. Vi-
sus imprimis & auditus in ciendis affectibus vim habent maximam. Cy-
beles effœminata monstra, ad proprium sanguinem effundendum so-
num animasse, testatur SCALIGER *Exercit. 302. 2.*, equi, canes, cervi,
ursi, sono vehementer incitantur, imo tanta vis harmonici, jucundi &
temperamento proportionati soni est, ut non tantum melancholicos,
furiore & similes, sed etiam à periculosissimis Tarantulis læsos curare
possit. Sileo exempla. Alex. M. quem suo cantu Timotheus exacuere
& mitigare poterat, Erici item Regis Daniæ, vid tam. POLYD. VIRG.
Ls. Cap. VII. te rerum invent. Visus, quid possit quilibet experi-
tur, vix rem elegantem adspicimus adest amor, vix turpem & malam o-
dium. (2) Internam constituentem facimus, *partim* facultatem cogno-
scentem à rationali & irrationali præcisam, quippe à qua omnes affectus
suo modo pendent, nec senties amorem, nisi scias, prius & cognoveris
bonum ac amabile objectum, ignoti enim nulla cupido, nec odium nisi
scias quid oderis, nec gaudium, nec fuga, nec reliqui sine facultate co-
gnoscente, movebuntur affectus. Non tamen hanc cognoscentem fa-
cultatem prave interpretari volumus, intelligimus enim sensum tum in-
ternum tum externum, imo etiam in homine rationem, sive recta supra-
va fuerit; *partim* appetitum ipsum, qui pro duplici sibi concessa facultate
concupiscibili & irascibili, varios affectus parit. de quibus imposterume-
rit dicendum. Dubium hic moveri poterat, quod appetitum, quem su-
pra Subjectum fecimus, nunc etiam efficientem faciamus; sed nulla hic
contradictio, salva enim res est, si appetitum vario adspiciamus respectu. Ef-
ficiens est, quatenus efficienter concurrat, ad procreandos affectus, mediante
facultate cognoscente, Subjectum quatenus iisdem quos efficit affecti-
bus substat. Forma in motu appetitus, ab objecto & facultate cogno-
scente, consistit.

§. 11. Ut ergo quæ ad causas affectuum pertinent colligamus partim ab objecto externo excitantur, quod ipsum statim à sensibus percipitur, à quibus ad sensus internos, præcipue phantasiam, defertur, quæ id bonum aut malum, salutare aut noxium, facile aut arduum, judicat; partim à facultate appetente, movetur enim cognito objecto, illico appetitus, ad appetendum bonum s. verum s. apparens promptus, & ad fugiendum malum; excitantur spiritus, cor impellitur, ut prosequantur illud objectum, si bonum; vel fugiant, si malum, insequitur commotio membrorum corporis, quæ est motio totius animalis. Ubi tamen notandum circa affectus quæ in parte rationali deprehenduntur, illis tantam alterationem corporis non esse conjunctam, & si prodeunt exterius cum aliqua corporis motione, tam fœdam tamen & crassam turpitudinem, non, ut illi crassiores, nobis cum brutis communes, involvere Vid. omnino. *Excell. PRÆCEPTOR. NOSTER Phil. Mor. p. 396.*

§. 14. Maximam deniq; finis curam habebimus, id quod plurimum ad nostrum institum faciet, nec enim contenti erimus hæc de affectibus dixisse, nec tamen etiam, leges naturæ præscribere audebimus, eorundemq; extirpationem omni modo svadere vel præcipere; Commendant se nobis sua utilitate affectus, quod enim venti majori mundo præstant, quando aerem purgant, id vere affectus microcosmo conciliant, quando sanguinem purgant, ne nimis quieta putrescat. Instigant nos ad agendum, virtutibus ergo calcaria adjiciunt. Recte SENECA *L. 1. d. 17a*, quod sine affectibus omnis langveat actio. Ut enim aqua, semper quieta jacens, tandem turbida fit & fœda, sic animus immotus & torpens, inutilis etiam sibi, nec vitam tueri poterit. Sine ira fortitudo non erit, sine metu prudentia nulla, non sine cupidine temperantia, nec sine lætitiâ sensus amorque virtutis juxta LIPS. *Libr. 3. manduct.* alæ ergo sunt affectus, quibus homines, ad destinatos cursus rapiuntur. Non ergo anfas istas virtutum eradicare conabitur Ethicus; sed potissimum id curare qua ratione affectibus debito modo indulgeat, ita tamen, ut, cum virtutes per hos etiam fiant, in mediocritate (sine qua nulla virtus) eosdem contineat, passiones enim sunt, quæ patiuntur alterius regimen, eoque maxime opus habent. Quæ cum nostri maxime sint muneris, aggredeuda nunc forent, dicendumq; qua ratione vel excedendo vel deficiendo peccent, & qui in mediocritate sint continendi, sed veniam nos impetraturos speramus, si hæc ad aliud tempus rejiciamus. Sedulo tamen promissa in subsequentiis exsequemur, ubi paucula pro viribus, de excessu & defectu affectuum, remediis insuper ferocientium, dicenda erunt, hæc hic sufficient.

תושלבע

SUMME R
D
DN
VV
S.S.Theo



PATRONO

in sui

QVE
BO
O
Belzig

ERANDO

tionem, &
Affectibus
t.

Persch /
axô.

